

Johann Gottlieb Möller    Johannes Georgius Knoth


**De Seculi I. Scriptoribus Ecclesiasticis, Ex Chronologico Illustris Viri, Hermanni Conringii, de Universae Eruditionis a N. C. Propagatione, Eiusdemq[ue] Scriptoribus Commentario, Nunc Primum e Msc. A Se Editio, in Disputatione Philologico-Philosophica, d. XXVI. Septemb. A. C. M DC XCVII. In Maximo Athenaei Gedanensis Auditorio, Jesu Gratia Moderante, Solenniter instituenda placide disquiret,**

Gedani: Stollius, 1697


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn796462976>

Druck    Freier  Zugang





*B6-1053<sup>1-31.</sup>*



- 2.
- 3.
- 4.
- 5.
- 6.
- 7.
- 16.
- 17.
- 18.
- 20.
- 29.
- 22.
- 24.
- 25.



3  
DE  
SECULI I.  
SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS,  
EX CHRONOLOGICO

ILLUSTRIS VIRI,  
HERMANNI CONRINGII,

de UNIVERSÆ ERUDITIONIS à N. C. PROPAGATIONE,  
EJUSDEMQUE SCRIPTORIBUS COMMENTARIO,  
NUNC PRIMUM à MSC. A SE EDITO,

in  
DISPUTATIONE PHILOLOGICO-PHILOSOPHICA,

d. XXVI. Septemb. A. C. M DC XCVII.

IN MAXIMO ATHENÆI GEDANENSIS AUDITORIO,

JESU GRATIA MODERANTE,  
Solenniter instituendâ placidè disquiret,

PRÆSES

JOH. Gottlieb MOLLERUS,

D. P. P. & Bibliothecarius,

Respondente

JOHANNES GEORGIO Knoth / Gedanensi,  
*Nobilissimi Dicasterii Alumno.*

---

G E D A N I,

Typis JOHANNIS-ZACHARIÆ STOLLII.

INCLUTO  
PRIMARIÆ  
GEDANENSIVM  
CIVITATIS  
DICASTERIO.

VIRIS

*GENEROSIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS,  
DOMINIS,*

DN. JOHANNI FERBER,

*NOBILISSIMI SCABINATUS SENIORI MERITISSIMO.*

DN. JOHANNI GERHARDO BARTSCH  
à DEMUTH,

*LAUDATISSIMI COLLEGI CON SENIORI GRAVISSIMO.*

DN. CONSTANTINO FERBER,

DN. FRIDERICO *Gottlieb Engelcken/*

DN. NATHANAELI *Barthold/*

DN. GABRIELI *von Bömeln/*

DN. CAROLO ERNESTO BAUERO,

DN. NATHANAELI SCHMIEDEN,

DN. JOHANNI GEORGIO *von Horn/*

DN. JOHANNI HEINRICO *Schmidt/*

DN. JOHANNI ALBERTO *Rosenberg/*

DN. CONSTANTINO SCHUMAN,

*AMPLISSIMI EJUSDEM ORDINIS ASSESSORIBUS, DIGNISSIMIS,  
JUSTITIÆ AC JURIS VINDICIBUS ÆQUISSIMIS.*

*DOMINIS PATRONIS AC MÆCENATIBUS, OPTIMIS, MAXIMIS,*

*Præsens Studii Historico-Literarii specimen, in qualemcumq; obser-  
vantia & gratiarum tesseram, ulterioremq; sui ac studiorum suo-  
rum commendationem, cum ardentissimo omnigenæ prosperita-  
tis voto. humillimè consecrat*

*GENEROS. ET NOBILISS. AMPLITUDINUM*

*devotissimus cliens, alumnus obstrictissimus*

Johann Georg Knoth Ged.

# HERMANNI CONRINGII,

PH ac MED. D. REGUM QUONDAM, PLURIMQ; IMPERII PRINCIPUM  
CONSILARII, ET IN ACADEMIA JULIA MEDICINÆ  
POLITICESQ; PROFESSORIS,

de UNIVERSÆ ERUDITIONIS à NATO CHRISTO PROPAGATIONE,  
EJUSDEMQ; SCRIPTORIBUS,

## COMMENTARIUM CHRONOLOGICUM,

XVI. à CHRISTO NATO SECIULORUM  
SCRIPTORES ECCLESIASTICOS, PHILOSOPHOS, JCTOS,  
MEDICOS, ET PHILOLOGOS,

succinctè recensentem;

Prout A. M. DC LXIV. in QUORUNDAM AUDITORUM GRATIAM  
CONSCRIPTUS FUIT,

PROBATUS è MSCTIS NUNC PRIMUM ABS SE EDITUM,  
cum MISCELLANEIS, DECLARANDOQ; AUCTORIS TEXTUI INSER-  
VITURIS ADDITAMENTIS,

JESU GRATIA MODERANTE,

XVI. DISPUTATIONIBUS PHILOLOGICO. PHILOSOPHICIS,

In AUDITORIO ATHENÆI PATRII MAXIMO,  
RESPONSURIS & OPPOSITURIS INTRA NOMINATIS,  
SOLENNIORI SUBMITTET DISQUISITIONI;

Qui, ut

## INCLUTI PATRIÆ PATRES,

TITULIS, OFFICIIS, MERITIS, FULGIDISSIMI, GRAVISSIMI, AMPLISSIMI,  
SINGULIQ; LITERARUM

## FAUTORES, PROMOTORES, AMATORES,

PROUT CUJUSQ; CAPIT DIGNITAS, HONORANDI,  
ut, in

GRATIOSI DOCUMENTUM PATROCINII,  
ET BENEVOLÆ INDICIUM INTERPRETATIONIS,

MAGNIFICA, HONORIFICAQUE SUA PRÆSENTIA,

si GRAVIORA CONCEDANT NEGOTIA, QUIALESUNCQ; HOS CONATUS  
SUBLEVARE ET ADJUVARE DIGNENTUR,

QUA DECET SUBMISSIONE AC OBSERVANTIA, OBSECRAT ET CONTENDIT,  
JUVENTUTEM VERO STUDIOSAM  
PERAMANTER CONVOCAT.

JOHANNES Gottlieb MOLLERUS, Gedanensis,

GEDANI, Typis JOHANNIS-ZACHARIÆ STOLLII.



Cùm divinam & humanam Sapientiam omnem, veterum monumentis traditam, ac ad posteros propagatam habeamus, quorum Praeceptis ac Doctrinâ Intellectus noster imbutus, rerum aliquam notitiam, ac Prudentia sibi vim acquirit; in id incumbendum omnibus est, ut natales ejus investigent altius, primos illius Autores Magistrosq;, suis quosq; etatibus, suâ docendi ratione distinctos, exquirant, in Bibliothecis latitantes in lucem proferant, similia quaedam, vel ad eorum Ingenium, vel nova etiam, à se excogitata, scribant, & aliquem Scientiarum complexum, aut Polymathiam, animò comprehendant; Verba sunt notatu dignissima, quibus Polyhistorum exorsurus, incomparabilis MORHOFIUS, Historiam, quam vocant, Literariam, omnibus doctrinæ solidioris Cultoribus vult esse commendatam (a).

Non erit facilè hos inter, qui suum summo Viro denegaverit calculum; invenientur tamen citra dubium haud pauci, qui laudatissimo se mancipare studio dum intendunt, animadvertentes, Oceanum se ingredi, in quò Portum invenire difficile est, naufragii periculum à Syrtibus & Scopulis imminet (b), de optimo solliciti sint gubernatore, deque ejus defectu, ubi frustra sollicitos se fuisse deprehendunt, acerbè conquerantur.

Quem laudavimus nunc, MORHOFIUS, si quisquam alius, parem tantæ molis operi se futurum, editis duabus Polyhistoris partibus, luculenter ostendit, sed præmaturâ ereptus morte, quod cû stupore omnium feliciter inchoavit Opus, imperfectum relinquere fuit coactus.

HERMANNI similiter CONRINGII, (alios nunc ut præmittamus;) Polyhistoris quondam consummatissimi, opus eruditum de universæ Eruditionis à natò Christo propagatione, ejusdemque de Scripturibus Commentarius, privatis lectionibus ab illò conceptus, quòd multorum commoda adjuturus esset, si lucem viderit, VALENTINUS HENRICUS VOGLERUS, dum vastum hoc argumentum ως εν τόπω proposuit, (c), graviter & cum plurimorum ex Eruditis assensu equidem judicavit (d); Ab illò tamen tempore, quantum mihi hætenus innotuit, paucissimorum in scriniis Eruditorum ad hunc usque diem latitavit.

De

(a) L.I.C. 1. sub initium. (b) ut loquitur Morhofius *Pref. ad Lect.* (c) Judice Morhofio l.c.C. 16. p. 174. (d) *Universali ad notitiam cujusque generis bonorum scriptorum Introd.* C 5.

*Editoris Prefamen.*

De felici operis Morhofiani continuatione, cum certa nondum Spes ( ut autumo ) affulserit hactenus, quod in præsentiarum molior instituti, æquis rerum æstimatoribus non omnino erit ingratum. DEO enim MODERATORE, communicare cum erudito orbe decrevi HERMANNI CONRINGII *Chronologicum de universa Eruditionis à nato Christo propagatione, ejusdemque Scriptoribus Commentarium*, quò per XVI. à Christo Nato SECULA, quinque in Capitibus, scilicet Primò de SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS, Secundò PHILOSOPHIS, Tertiò JCTIS, Quartiò MEDICIS, Quintò HISTORICIS ORATORIBUS ET POETIS; A. M. DC. LXIV. scholis in privatis, quorundam rogatu Auditorum, tractavit Vir celeberrimus, id est, ut paucis multa complectar, laudatum à Voglero totq; aliis desideratum opus.

Vastam fateor, inque omni literarum genere excellentissimam Conringii Eruditionem (e), cum laudato quisquis conferet opusculo, *compendiarium planè libellum esse extemporalibus Auctori Dissertationibus natum, multisque accessionibus augendum*, præeunte Morhofio (f), facilè agnoscer; Quodsi tamen, quæ indice velut digito adumbrata modò sunt, expendere diligentius, elegantissimà in Brevitate sat multa de tanti Labore Auctoris Documenta, & ad perficiendum Historiæ literariæ studium adminicula, deprehendet.

Quæ & ipsa argumento mihi fuere sufficienti, ut, quod liberali ILLUSTRIS, quem veneror, MÆCENATIS donationi debeo, probatum, & ex vivo Conringii ore haustum exemplar, præviâ cum nonnullis studii hujus Antistitibus collatione amicâ, in studiosæ præsertim Juventutis usum, jam ante biennium, publicis constituerim typis promulgare (g); Propositum verò, hucusque varia ob impedimenta dilatum, ut in effectum deducere nunc pararem, Bibliothecariatus, ab INCLUTIS PATRIÆ PROCERIBUS, unâ cum Professione in Athenæo Gedanensi Philosophicâ benignissimè mihi demandatus, fuit incitamento.

Hic

(e) A. 1664. Ludovicus Rex Gallie doctissimis aliquot in Germania & Belgio Viris Stipendia annua mille librarum numerare jubens, tantum absuit, ut hunc in illo excellentissimorum virorum numero præterierit, ut potius non simpliciter, sed cum singulari augmento usque ad initia belli cum Belgis suscepti, continuata regia Liberalitate, illud numerari fecerit; ut verba habent Programmatis in Obitum Conringii.

(f) l. c. p. 174. (g) Ex promisso, in *Pref. Historiæ Baclerianæ* præmissa.

*Editoris Præfamen.*

Hic enim alia inter postulare videbatur, ut multiplicem, qui ex rariorum perlustratione bibliothecarum, ad sedulos literarum cultores redundare potest, usum, florentissimis Athenæi nostri Civibus commendarem, quò, qui duabus hebdomadatim vicibus, ex gratioso MAGNIFICI SENATUS Indulto, Amplissimam Ejus BIBLIOTHECAM visitare possunt, concessi magnitudinem beneficii ex meritò æstimare, inque profectuum suorum emolumenta feliciter discerent applicare.

Cùm verò sine aliqua Historiæ literariæ cognitione, Bibliotheca vel instrumētissima, exoptato nequeat inservire usui, non de manu ductione modò ad jucundissimum pariter ac utilissimum hocce studium, privatis in Lectionibus communicandâ, mox fui sollicitus, sed eadem quoque præmissâ, Historiæ prægustum Literariæ, ad Conringiani ductum Commentarii, subjicere capi. Hunc ergò, ipsâ postulante sic necessitate, ad laudati superiùs, cumque aliis Codicibus MSS. collati Exemplaris normam, adjectis, quæ declarando Auctoris textui possint inservire, ADDITAMENTIS MISCELLANEIS, DIVINO sub MODERAMINE, quâ decet fide ac sollicitudine, prælo nunc committere, præviaque in Collegio Privato declaratione, SEDECIM in DISPUTATIONIBUS PUBLICIS, solenni placidæq; Eruditorum disquisitioni submittere decrevi. MUNIFICENTISSIMIS PATRIÆ PATRONIS, BENIGNISSIMISQUE MÆCENATIBUS, industriam, privatim hactenus feliciter impensam, Octo Præstantissimorum in Athenæo nostro Civium, ob pietatem, modestiam, & discendi ardorem, Optimis quibuscunque Literarum Fautoribus commendandi:

IMMANUEL Rühn/ Colbergâ-Pomeranus.

CHRISTIANUS Gottlieb Rosenberg/ Ged. Nobilissimi Dicafterii Alumnus.

JOHANNES GEORGIUS Knoth/ Ged. Nobilissimi Dicafterii Alumnus.

GODOFREDUS NEANDER, Gedanensis.

JOACHIMUS ERNESTUS HÖRLITZ, Gedanensis.

JOHANNES SALOMON Richter/ Gedanensis.

ZACHARIAS Hasselmann/ Rostochiensis.

ANDREAS Hoffmann/ Berolinensis.

Opponendo pariter ac Respondendo, quâ poterunt, observantiâ dexteritateque probabunt. Faxit summus conatuum nostrorum Præses, DEUS, TER OPTIMUS TERQ; MAXIMUS, ut hoc, quicquid est instituti, in Nominis sui gloriâ, & studio sæ incrementum Juventutis, feliciter inchoetur, felicijus continetur, felicissimeq; concludatur. Idem MAGNIFICOS PATRIÆ PROCERES, SINGULOSQ; LITERARUM FAUTORES ET AMATORES, gratiosos nobis PATRONOS, benevolosq; reddat INTERPRETES, quò de amplissimâ eorum Præsentia, benignoq; Favore nobis gratulantes, nostro etiam Exemplo ( ceu Morhofius ad Amicum quondam scribebat; ) experiamur: *Quod Gedani est, Gymnasium, in Actibus publicis certare cum Academicis, quia Patronorum viri Præsentia Docentes excitat, sic beneficia sublevans discientes.*

*Seculi*

## S E C U L I I.

## CAPUT I.

De

## SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS.

I. **C**Um nasceretur SALVATOR noster, divinitus re-  
velata Doctrina, inter solos Judæos, & Profe-  
lytos seu Hellenistas, versabatur. Erant enim  
eorum alij, Abrahami prosapiâ oriundi, alii verò alie-  
nigenæ. Quemadmodum autem hi diversarum nati-  
onum, ita & ipsi Judæi, quia per omnem terrarum  
orbem essent dispersi, (non aliter ferè atque hodie;)   
diversæ admodum & linguæ erant, & patriæ. At E-  
vangelicâ de JESU CHRISTO Doctrinâ in Lucem produ-  
ctâ, ex Judæis quidem, apud quos sanè hætenûs unicè  
floruerat illa θεόπεμπτο Doctrina, non ad eò multi eam  
amplexi sunt, contrâ tamen illi statim adhæsit reliqua-  
rum gentium per universum hunc mundum innume-  
ra multitudo. Eò factum, ut post, JUDAICA RELIGIO ac  
DOCTRINA, & CHRISTIANA, inter se fuerint distinctæ, dum  
scilicet nec Judæis deessent, qui eam propagarent.

II. Fuit verò, ut aliquandiu antè, ita & hæc tem-  
pestate, inter JUDÆOS, non una Doctrinæ ratio; aliis  
nempe, præter ea, quæ literis sunt in Mosaicis volu-  
minibus enarrata, nihil; aliis, ad hæc Prophetarum  
scripta, alias Patrum παραδόσεις, & manu traditam quan-  
dam Legem, pari, cum Mosaicis Libris, imò, majori  
reverentiâ, colentibus & suscipientibus, quarum pri-

A

ori.

ori sententiæ SADUCÆI; posteriori, PHARISÆI, Judæorum, magnâ tamen famâ, Hæretici, imò omnes ferè LEGIS DOCTORES, etiam Sectis non addicti, quantum ex Christi interpretationibus liquet, faverunt.

III. Etiam circa ipsius Legis scriptæ interpretationem, magna fuit opinionum diversitas, in SECTAS, non tantùm PHARISÆORUM & SADUCÆORUM, sed etiam ESSÆORUM (quos tamè à communibus templi sacrificiis & consortio exclusos fuisse, indicat Josephus L. XII. cap. 2 *Antiquitatum*;) aliorumque, scissis popularium animis, & à genuinâ Legis observatione plerisque multùm discedentibus.

IV. Ex illis verò JUDÆIS GRÆCISANTIBUS, qui primo seculo floruerunt, duos tantùm habemus hodie; Alterum PHILONEM ALEXANDRINUM, CAIO CALIGULA Imperatore; Alterum FLAVIUM JOSEPHUM, Mathatiæ filium, nobilem suæ gentis Historicum, VESPASIANO Cæsare.

V. Scripsit autem PHILO allegoricam V. T. interpretationem, adeò, ut creditus sit platonizare. Photius, cum de Libris quibusdam Philonis, à selectis, e-gisset, addit: *Et verò ab hoc arbitror, omnem allegoricum in scripturas sacras sermonem in Ecclesiam promanasse;* id quod imprimis notandum arbitror.

VI. Reliquorum Judaicorum Scriptorum nihil hodiè exstat, præter JONATHANIS, Ufielis filii, discipuli R. Hillelis (si sanè ejus est, quod habemus;) *Targum*, seu Para-

Paraphrasis in Prophetas. Etsi enim & ONKELOS Paraphrasin nonnulli hûc referant, pertinet tamen illa verius ad seculum proximum.

VII. Præter hos verò videntur vixisse hoc seculo Judaicæ Doctrinæ Magistri, SIMEON, fortè is, qui aliàs infantem Jesum brachiis excepit, & GAMALIEL Senior, Pauli Præceptor; SIMEON alius, filius Gamalielis senis, Hillelis pronepos, qui in direptione Urbis periit; HILLELIS enim Progenies hâc serie sequitur, si credamus Abrahamo Levitæ; nam in libro cui Titulus: סדר עולם רבא haud paulò aliter instituitur temporis ratio. Ex Abrahamo autem discimus, floruisse præ reliquis traditionum Judaicarum peritiâ JONATHANEM, filium Ufielis, & JOCHANAN, Zachæi filium, alterum maximum, alterum minimum Hillelis Discipulorum.

VIII. Cœterùm, ECCLESIASTICORUM illius temporis SCRIPTORUM, certum est, hodièque illa, quæ dicuntur NOVI FOEDERIS VOLUMINA, ab APOSTOLIS, nempe MATTHÆO, JOHANNE, PETRO, JACOBO, JUDA, PAULO; & APOSTOLICIS DISCIPULIS, MARCO & LUCA fuisse conscripta.

IX. Etsi verò multa alia circumferantur, velut ab Apostolis & Apostolicis Viris prolata, sunt tamen illa omnia inferioris conditionis; imò, si non omnia, saltem pleraq; certè, mentiuntur Nomen. Ejus notæ sunt: Liber, inscriptus: *Pastor*, HERMÆ attributus; (quamvis hic usq; adeo antiquus sit, ut à S. Irenæo & Clemen-

te Alexandrino habeat testimonium) itemq; S. PRO-  
CHORI, unius è VII. Diaconis ( Act. VI. 5 ) LINI, AB-  
DIÆ BABYLONII, MARTIALIS, & similia.

X. Laudatur antiquis etiam S. CLEMENS RO-  
MANUS PAPA, inter hujus tempestatis Scriptores,  
neq; pauca ejus Nomen præ se ferunt; sed, quæ antiqui  
laudaverunt, jam perierunt, præter *unam ad Corinthios*  
*Epistolam* A. M. DC. XXXIII. in Angliâ editam; quæ  
verò alia afferuntur, à Doctis plerisq; Clementi abju-  
dicantur.

XI. Similiter & DIONYSIO AREOPAGITÆ, illi, quem  
Paulus ad Christianam fidem ( Act. XVII. 34. ) perdu-  
xisse traditur, varia hodiè tribuunt; sed & olim de iis  
fuisse dubitatum, constat ex Photio; Et avorum Memo-  
ria, à Laur. Valla, Erasmo Roterodamo, Ludovico Vi-  
ve, & aliis quàm multis, sunt rejecta; defensionem ta-  
men eorum, cum alii suscipere non desierunt, tùm im-  
primis id agere conatus est Martinus Delrio in *Vindi-  
ciis Areopagiticis*.

XII. Ex ævo eodem commendantur antiquitùs & S. IGNA-  
TII, & S. POLYCARPI, ( quorum uterque Johannem Aposto-  
lum familiariter audivit, ) *epistola*. Exstant etiam eorum nomi-  
ne hodiè literæ haut parvæ, quarum plerasq; tamen ab illis o-  
lim laudatis abire, tùm res docet, tùm testatur Etuditorum con-  
sensus, ut proinde hujus seculi & fuerint rari Scriptores Eccle-  
siastici, & nunc inveniantur rarissimi, quod olim viva Vox qui-  
dem Apostolorum, auribus insonaret, adeoq; aliis scriptis haud  
esset opus; hodiè verò, omnium vice sint ipsorum Apostolo-  
rum, Spiritus. moderante, conscripti Libri.

ADDITAMENTA  
Dec'arando Auctoris Textui inservitura.

I.

Quemadmodum Dioni, Svetonio, aliisque Paganis Aucto-  
ribus, Nomen JUDÆORUM quandoque tam latè sumitur,  
ut ipsi sub eodem Christiani comprehendantur; sic ti-  
tulus SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM, antiquis pariter ac recen-  
tioribus inter Christianos Historicis, tam latè extenditur, ut, non  
modo, qui, vel in, vel de Ecclesiâ fuere Christianâ, eodem or-  
nentur, sed etiam, qui quomodocunque ad supplendam & illu-  
strandam Ecclesiæ historiam faciunt, etiamsi fidem catholicam  
vel ignoraverint, vel agnitam olim impagnerint, sub ambitu  
ejus contineantur. Priori respectu Svetonius in *Vita Claudii*  
C. 25. refert, quod Imperator *Judeos Impulsore Chresto assidue*  
*tumultuantes Româ expulerit*; id est, Christianos, quorum CHRIS-  
TUM per ignorantiam CHRESTUM; studium verò propagandi  
veram fidem, *tumultum* per calumniam appellat; Posteriori,  
Hieronimus in *Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum*, Philonem, ob  
scriptum *de Vita Contemplativa, & amicitias cum Apostolo Petro,*  
Senecam, ob literarum, quod cum Paulo Apostolo instituisse  
fertur, commercium; Josephum, ob illustre de Christo, Johan-  
ne Baptistâ, & Jacobo testimonium, Photinum, *qui Ebionis hæ-*  
*resin instaurare conatus est, ob volumina contra gentes,* recenset;  
Quo etiam sensu de Scriptoribus Judæis sub titulo *Ecclesiasticorum*  
à N. I. usq; ad IIX. Auctor noster egit, sensu strictiori eandem  
capiens denominationem à N. IIX. usque ad XII.

II. Quos hodiè Protestantes Libros vocant *Apocryphos*, in  
Codice, non tamen Canone Biblico contentos, eos Antiqui *Ec-*  
*clesiasticos* appellabant, nomine *Apocryphorum* autem designantes  
scripta hæretica, Apostolis, aut Viris Apostolicis, nequitia hære-  
ticorum, afficta; unde Augustinus L. XV. de C. D. C. 23. *multa*  
*ait sub nominibus & aliorum prophetarum & recentiora sub nomi-*  
*bus apostolorum ab hæreticis proferuntur, quæ omnia sub nomine apo-*  
*cryphorum auctoritate canonica diligenti examinatione remota sunt.*  
Dolendum verò, inter Christianos olim quoque fuisse, qui scri-

ptis



*Additamenta declarando Auctoris textui inservitura.*


ptis variis suppositiis, Christianam propagare Religionem sint conati, eandemque turpiter, si, quod res est, dicendum, profiterint. Graviter Ludovicus Ellies Du Pin *Parte. post. Praef. T. I. Nova Bibliotheca Auctorum: Homines movit ut supponerent opera nomine alieno* — *caca quorundam hominum pietas, qui arbitrati sunt se de Ecclesia bene merituros, si monumenta Ecclesiastica, vel profana, in gratiam Religionis & veritatis supponerent, hacq; eadem ratione impulsu, quidam veteres Christiani, nomine Sibyllarum, Mercurii, Trismegisti, aliorumq; multorum testimonia Religioni Christianae faventia supposuere; & nonnulli inter Catholicos Libros composuerunt, quo facilius sui temporis Hereticos refellerent. Tandem ea causa fuit, cur Catholicis (i.e. Pontificii) excogitarint, falsas Historias, falsa miracula, falsas vitas Sanctorum ad fidelium pietatem fovendam. Quamvis autem horum hominum propositum videatur laude dignum, non tamen sunt probandi, qui hisce fraudibus utuntur, ad defendendam veritatem, quae argumentis sat solidis innixa est, ut falsis non indigeat, non possit sine ignominia mendacium, falsitatemque in auxilium vocare. Haec enim artes nunquam sunt adhibendae, utpote veritati ac sinceritati invise, etiamsi bonum sortiantur effectum. v. Auctorem. N. IX.*


III. Quam Patritius Junius Oxonii A. M. DC. XXXIII. publicavit Epistolam, sub titulo *Prioris ad Corinthios*, à Clemente Romano scriptæ, Clementem agnoscere Auctorem, uti ex plurimis constat argumentis, sic evidentissimè, ex fabulâ de Phœnice, quam Scriptor laudatus ad resurrectionem accommodavit. v. Auctorem. N. X.

*COROLLARIA PNEUMATICA.*

- I. Quicquid ex lumine naturali, tam in genere, de Spiritu, quam in specie, de Deo, Angelo & Anima rationali, potest sciri, accuratè in peculiari Philosophiæ Theoreticæ disciplinâ tractari meretur.
- II. Hæc, ceu scientia Spiritus, quatenus talis est, uti hodiè communiter  $\delta\omega\delta\ \tau\delta\ \pi\nu\epsilon\upsilon\mu\alpha\tau\ \Theta$ , Pneumatica dicitur, sic olim *Sapientia, Philosophia, Theologia*, dicebatur.
- III. Cavendum verò, nè in tractatione ejus lumen naturale cum revelato confundatur.

S. D. G.









שהזכות תולה לה ר' אליעזר אומר כל ה  
 כאלו למדה תפלות ר' יהושוע אומר ה  
 תפלות מתשעה קבין פרישות הוא היה א  
 ורשע ערום ואשה פרושה ומכות פרוש

Wagenfeilio nostro interprete : *Dixit filius  
 mo docere filiam Scripturam sacram , nam si  
 er (aquas amaras adulterii suspecta,) securus  
 sacrarum literarum studium (ex merito aliquo  
 præstiti , de quo antea actum fuerat ,) vim no-  
 futuram. Contra R. Elieser ait : Quisquis filiam  
 , is eam docet amandi artem ( ex sententia  
 . Josua ait : Magis expetit mulier unum Cabum  
 um novem Cabos vita solitaria. Idem ore fre-  
 pius qui insipiens , improbus qui astutus , Mulier  
 era Phariseorum , ecce ista sunt , que orbi in-*

Hæc celebris illa est de Fœminarum Eruditio-  
 Eliesere quidem prolata, a R. Josua quoque con-  
 d præcipuum est, a Magistris etiam per הלכה  
 obata, de qua nunc pluribus erit dispiciendum;  
 ostrema verba, etsi primario huc non spectant,  
 itata, cæteris addere visum nobis fuit, ut ex fœ-  
 cujus hic explicata facta est mentio, ac Vulne-  
 n, quorum itidem Mischna meminit, ad læsionem  
 וצנו להראות שהוא עניו וצנו in  
 vultum simulatò demittentium atque aliorum  
 ndo ad parietes declinantium, discas, nomen  
 cui & fœminæ adhæserint, non officii, aut eru-  
 ut vulgus putat, titulum; & intolerabili insuper  
 pricisi, vel solo tactu aliorum se pollui creden-  
 C tium

